

filii plenitudine devotionis et obedientie promptitudine reverenter agnoscant, nos per eos tamquam catho/lice fidei et iustitie fervidos zelatores paratos semper nostra beneplacita sollicitè adimplere, processum contra Fredericum quondam Romanorum imperatorem in concilio, / quod nuper Lugduni annuente domino celebravimus, habitum volumus publicari. Sed ut clarius vobis liqueat processum eundem iustitie plenitudine fore / munitum, scire vos volumus, quod expositis in ipso concilio prefati F. nephandis excessibus eodemque concilio discussione deliberante vigili super eis, nos tandem / de communi tam fratrum nostrorum quam concilii eiusdem concilio sententialiter contra memoratum F. duximus procedendum, prout ex tenore sententie, quam / sub bulla nostra transmittimus, vobis plenius innotescet. Unde ne Christi fideles predicto F. contra eandem sententiam per ignorantiam pareant vel intendant et ut / sententie ipsius equitas omnibus nota fiat, universitatem vestram monemus et hortamur attente in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus processum / huiusmodi per vos et alios vestri ordinis fratres providos et discretos in locis oportunis publicare curetis. Nos enim vobis vestrisque fratribus convocandi propter hoc tam clementer, quem in huius/modi negotio vobis favorabiliter assistere volumus et mandamus, quam populum diebus festivis et aliis ac relaxandi misericorditer omnibus vere penitentibus et confessis, / qui ad vestra predicationes, in quibus processum publicaveritis supradictum, accesserint, quadraginta dies de penitentiis iniunctis eisdem liberam tribuimus / auctoritate presentium potestatem. Et si forte propter huiusmodi publicationem contumelias, exilia, vincula, carceres, verbera seu quecumque supplicia vel corporis / cruciatus vos sustinere contigerit, concedimus de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut hec omnia / vobis velut constantibus fidei, iustitie et ecclesiastice libertatis athletis ad plenam remissionem peccaminum et eterne premium vite cedant. Datum / Lugduni XVIII Kalendas Januarii pontificatus nostri anno tertio.